



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Gero Ex Comitibus Frobvrgi Abbas Heremi Decimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



GERO EX COMI-
TIBVS FROBURGI

ABBAS HEREMI
DECIMVS.

DIVINITVS nostræ Heremo prouisum, vt fer-
mè tales præfides essent, quales tempora, & res
eius publicæ postulant, adeo GERONE nemo con-
stantius in perferendis communibus Imperij ma-
lis, neque quisquam fortius sustinendis, quæ expropinquo
nata sunt, contentionibus. Sed publicæ necessitates magis
hactenus exercuerunt, postea enim uero etiam aduersæ Mo-
nasterij penitralia attentarunt, postremo & perruperunt. Ve-
rum de ijs quæ ad suos quæque pertinebunt annos pluribus
memorabimus. Anno millesimo ceteresimo secundo Pascalis

pontifex,

*A.D. M.
CII.*

pontifex, dicto in concilio cum nusquam Heinricus, aut qui eius partes impleret legati adparuissent, de patrum omnium sententia ita processit. *Detestor omnem haresin, & præcipue eam quæ statum presentis Ecclesie perturbat, quæ docet, & adserit anathema contemnendum, & Ecclesie ligamenta spernenda esse.* Tum, dimisso concilio, in Cæna Domini vii. kal. Aprilis in Heinricum talem execrationem edidit. *Quia tunicam Christi scindere, id est, Ecclesiam rapinis, & incendiis lacerare, luxuriis, periuriis, atque homicidiis commaculare Heinricus non desistit, ob eam rem primum à beate memorie Gregorio papa, deinde à sanctissimo viro Urbano prædecessore nostro totius Ecclesie perpetuo anathemate obligatus est. Quamobrem id notum esse omnibus volumus & maxime transalpinis, ut ab eius se iniquitate abstineant.* At vero

A. D. N.

CIX.

C. III.

Heinricus anni sequentis natalitia Maguntiaci agitans imperium Heinrico filio relicturum, Dominicumque sepulcrum visurum per Emerardum episcopum in concione præfatus, magnam non vulgi modo, & popularium, sed etiam principum, & clericorum benevolentiam, & fauorem comparauit, quæ omnia, cum jam plurimi se ad iter, & in eius comitatum, ac obsequium, magnis impensis, accinxissent, antiqua, & insita perfidia, ludibrio habuit. Erant prodigijs, & monstris super mortalium inter se contentiones, & opinionum, doctrinarumque portenta, & dedecora, plena omnia, quæ causa fuit Florentiæ Episcopo, & alijs in Germania concionatoribus, ut Antichristum jam natum adsererent, contra quæ Synodus Florentiæ, & alibi habita, anno millesimo, centesimo quarto. Anno millesimo centesimo quinto Fridericus I. suæ stirpis primus Allemanniæ, siue Sueviæ dux vitâ defunctus, successorem habuit Fridericum II. F. ex oris deformitate cognomento Vnoculum, præfuit annos xxxiv. Cum verò, vti prædiximus, iura humana omnia, & diuina falleret, illuderetque Heinricus, filium Heinricum perpulit, auctoribus præcipuis Allemanniæ, & Bauariæ primoribus, ut, relicto patre, ad pontificias partes & Catholicos se transtulerit, breuique totam Germaniam, alias ab utroque

A. D. N.

CIX.

C. IV.

A. D. N.

CIX.

C. V.

defectu-

defecturam, in se traduxerit. Ea de caussa cum in ante diem
 1 v. Kal. Iunias Northusæ Thuringiæ regiâ villâ conuentum
 indixisset, prius protestatus, clarâ voce, nullâ se regnandi
 cupiditate à parente desciuisse, sed diuinæ causæ studio, &
 pontificiæ auctoritatis verecundiâ, Simoniacam hæresim,
 & cetera eius æui sacrilegia, & dedecora cõdamnavit. Pasca-
 li sacramentum obedientiæ dixit, acceptaque ab Gebhardo
 Constantiensi episcopo tunc per Germaniam legato Aposto-
 lico anathematis absolutione, exercitum fecit, plerisque Ger-
 maniæ vrbibus falsos episcopos eiecit, legitimos imposuit.
 Dato mox cum patre colloquio, eum ad sanitatē multis cohör-
 tatus est, si melioribus locum fecisset, sese pariter regno abi-
 turum, & in obediētia futurum. Cùm nihil se, nisi quod gen-
 erali omnium Imperij ordinum cõsensui placuisset, acturū
 respondisset pater, Comitia in dies natalitios proximè se-
 quentes Maguntiacum indicta. Quæ vbi aduenerunt, &
 causæ suæ diffidit senior, in castrum Ingelheim se abdedit.
 Missi ad eum ex conuentu Maguntinus, Colonienfis, & Vor-
 macienfis antistites, qui imperatoria ornāmēta reposcerent.
 Cum impetrassent Heinricū filium subito ijs induerunt, ma-
 numq; impositione in regem confirmarunt. De restituenda
 postea Ecclesia, & Imperio restabiliendo cõsultatum. Re-
 latione proinde factâ de Ecclesijs, & episcopatibus ab Hein-
 rico seniore concessis, omnia pontificis decreto permissa, le-
 ctiq; qui statim Romam mitterētur, insignis virtutis episcopi
 ex Lotharingia Bruno Treuerenfis: è Saxonia Henricus Mag-
 deburgensis, è Franconia Otho Babenbergēsis: è Bauaria E-
 berardus Eichstadiensis, ex Allemānia Gebhardus Constanti-
 enfis: è Burgundia Vricus Lausanensis. Tum Heinriciana,
 & Clementina hæresis cõsensu omnium ordinum condem-
 nata, statutumq; vt hæretici episcopi viuentes sede deturba-
 rentur, mortui sepulcris, & locis sacris eruerentur, qui ab ijs
 instituti, & reb; diuinis admoti essent, vsq; ad conciliū genera-
 le functione submouerētur. Henric; senior, auditis, quæ eue-
 nerant, consulturum suæ se animæ pollicitus Leodicum se-
 cessit, vbi à quibusdam malè fanè instigatus, tractis in partes

A. D. X.

C13.

C. VI.

P

Leodicensi

Leodicensi episcopo, & Heinrico duce Lotharingæ, alijsque nonnullis rebellibus non contemnendam militum manum fecit, reque inopinata, apud Coloniam Catholicos nonnullos oppressit. Postremò fufus, & fugatus, siue mærore animi, aut valetudo corporis fuit, v. 11. idus Augusti ingenti omnium bonorum lætitiâ extinctus est. Cadaver Leodico Spiram translatum per quinquēniū insepultum jacuit, magno, & memorabili rerum humanarum exemplo. Pascalis pontifex, tãto, & tã pertinaci aduersario è medio sublato, jam erectior ad constituendam Ecclesiam factus, vt Augustam Vindelicorum, quo à nouo rege accersebatur, veniret, se in viam dedit. Cum verò interim Heinricum ab remittendis Ecclesiarum institutionibus abhorreere, nec satis Germanos placatos accepisset, in Galliam deflexit, & Treas Concilium indixit prouinciale. Superatis mediâ hieme alpibus, Cluniaci natalitia transegit. Concilio Tricassensi anno millesimo, centesimo septimo, cum alia multa Ecclesiæ detrimenta reparata, tum Ecclesiarum collatio rursus ingenti consensu laicis est adempta. Heinrico per legatos ius in eo suum imminui à maioribus suis iam inde vsque à Carolo Magno vsurpatum, ex postulanti, spatium datum Romam eundi, & generali in consilio causam suam probandi. Igitur varijs occupationibus, & maximè Flandrico bello, hæcenus distentus, conuentu Ratisbonæ factò, anno millesimo, centesimo, decimo profectionem Italicensem Heinricus in proximum Iulium pronunciauit, exercituque bipartito ipse per montem Iouis, S. Bernardi maiorem vocamus, cæteræ copiæ per Tridentinas valles se expediuere. Hoc anno eodem controuersia excitata de limitibus inter abbatem Geronem, & Suios multorum annorum, & molestiarum. Iam Rudolfo abbate viuente peruascerat fama, Monasterij terminos ab Suijs violari, vltraque per vsurpationem eos progressos, montes, & pascua tenere Heremitarum dominationis, sed, siue id incertum haberet, aut vitâ prius defecit, nihil extra jactata vulgo inquisitionis, aut certaminis fuit. Sed Gero subditorum Heremi incolarum persuasum, aut

quia ita

A. D. N.

C. D.
C. VII.

A. D. N.

C. D.
C. X.

quia ita in re esse arbitrabatur, litem exorsus, magnâ curâ utroq; iure exercuit. Suitij vt opes suas firmarent, Rudolfo Lentzburgi Comiti, & Tugij domino, tamquam ob id vicino, & vtriq; parti confini, suæ Cōmunitatis præfecturam detulere, qui proinde eorum causam, & defensionem acriter contra GERONEM tutatus est. Qua de resæpius sequentibus mentio erit. Fine anni, pridie idus Nouembris defunctus Gebhardus III. ex ducibus Zeringiæ, Constātiensis episcopus, Apostolicus per Germaniā legatus, multis rebus pontificia dignitate fortiter, & prudēter gestis. Successit Vldaricus I. ex Comitibus Kiburgi, præfuitq; annos septemdecim haut inferiori laude. Henricus, continuatis itineribus Romam Dominicâ Quasimodo a. d. v. idus Aprilis anni millesimi centesimi vndecimi ingressus, cum, præter pacta, & conuenta, urbem, & D. Petri basilicam sanguine, cæde, & cadaveribus polluisset, per vim Ecclesiæ dignitatum collationē extorsisset, à Pascali inuito, & coaëto Romanorum Imperator IV. coronatus est, pridie idus eiusdē mensis. Mox in Germaniam cum redisset parentis anniuersaria exegit, magnaq; solemnitate jam anathemate absolutum inter priorum cætum sepeliuit. Pridie idus Augusti cōsecrauit Vldaricus Constantiensis in Heremo Sacellum inferius in Monasterij circuitu in honorem, & titulum D. Ioannis Baptistæ, & D. Ioannis Euangelistæ, in idque reliquias condidit beatorum Christi martyrum Mauritij, Meginradi, Iusti, Leodegarij, Alexandri, Felicitatis: Episcoporum Martini, & Volfgangi, & Galli Confessoris. Autumno adulto, Spirâ Argentoratum venit cum magno principum comitatu Imper. Henricus. Cum ad eum GERO pro priuilegiorum suorum confirmatione eō misisset, ad stipulante, & collaudante eorundem Principum concilio, hoc, ad patris tamen imitationem, & formam, rescriptum ad nostrorum supplicem libellum edidit.

A. D. N.

CIC.
G. XI.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuinâ fauente clementiâ, quartus Romanorum Imp. Augustus. Non magnū est carnalia nostra metere, hiis qui nobis

P 2

Spiritualia

Spiritualia non cessant seminare. Oportet enim nos, qui sumus carnales, quiq; sollicitudinibus huius mundi inseruimus, spiritualium virorum orationibus commendare; precipue hiis, quos omnibus relictis, soli Christo IESU cernimus vacare, per quos cum spirituales sustentationes accipimus, merito eis carnales consolationes, de quacumque re petierint, rependimus. Igitur in monasterio sanctæ DEI genitricis, & virginis MARIE, & sancti MEGINRADI, MAVRITII quoq; sociorumq; eius, quod Solitarium vocatur, Teuthonice Einsidelen, fratres habitantes nos adierunt, Qui quidem non de nostris aliqua metere, sed aliorum messe collecta nostro patrocinio obtinere petierunt: Videlicet, ut consolationes, quas de multis, siue in prædiis, siue in aliis quibuscumque mundi substantiæ speciebus, vel acceperant, vel accepturi sunt, nostri chirographi testimonio, perpetuâ libertate, possideant. Quorum petitione, quia iusta videbatur, fieri adiudicauimus. Iustum est enim, ut qui à carnalibus segregati sunt, à carnalibus non iudicentur. Nam & nomen eorum, & habitatio singulares eos insnuant. Ergo ad stipulatione presentium regni Principum, videlicet, archiepiscoporum, Alberti Moguntini archiepiscopi, Brunonis Treuirensis archiepiscopi, Cunradi Saltzburgenensis archiepiscopi: episcoporum, Burkardi Monasteriensis episcopi, Brunonis Spirensis episcopi, Cunonis Strasburgensis episcopi, Alberonis Metensis episcopi, Richardi Virdunensis episcopi, Eberhardi Eistatensis episcopi, Ulrici Constantiensis episcopi, Rudolphi Basiliensis episcopi, Frederici Ducis, Herimanni Marchionis, Comitum quoque Godefridi de Caloen, Frederici de Zulra, ceterorumque fidelium nostrorum, prædictis monachis de Einsidelen libertatem petitam tradimus, traditâ affirmamus, scilicet, ut nullus successorum nostrorum de aliqua substantia eorum possessa, vel possidenda, prædiis datis, vel dandis, cellis constructis, vel construendis, se intromittat: Nisi forte, quod absit, aliqua in illos raptorû insania surrexerit, aduersus quos rogamus ut insurgat, quos trucidet, & eradicet. Cum vero abbatem constituendum tempus poposcerit, Non quilibet Regis, aut Impe-

ratoris

ratoris potestate eis præponatur, sed quem fratrum electio idoneum iudicauerit, Regis tam petitione, quam constitutione huius nominis onus subire cogatur. Cetera vero omnia ad neminem, nisi ad abbatis nutum, respectum habeant, & fratrum. Huius libertatis memoriale, hanc paginam scribi iussimus, quam, ut infra videtur, propria manu corroboratam, & sigilli nostri impressione insignitam, omnis generationis tam futurae, quam presentis notitia relinquimus.

*Signum Domni Heinrici quarti Romanorum
Imperatoris invictissimi.*

Albertus Maguntinus archiepiscopus, & archicancellarius recognouit.

Data VII. Non. Octob. Indictione IIII. Anno Dominice Incarnationis M. C. XI. Regnante Heinrico quinto Rege Romanorum, Anno VI. Imperante. I. Actum est Argentina. In Christo feliciter. Amen.

Pascalius verò pontif. haut parum notatus, quod Imperatori priuilegium à maioribus suis acerbissimis vexationibus, ac durissimis exilijs defensum, & retentum permisisset, cum in publico conuentu se, quod egisset, extremâ necessitate adactum fecisse respondisset, haut aliter imminentem stragem populi, incendium Urbis, & agrorum vastitatem prohibiturus, idque, si piaculum videretur, se concilij arbitrio expiaturum. Ne quis postremo de fide sua dubitare posset, in hanc formam suæ confessionis summam profatus est, Ut præter cetera à Romana Ecclesia adprobata, se probare omnia, aut respuere quæcumque Gregorius VII. vel Urbanus II. aut decreuissent, aut defendissent, adfirmaret. Quibus dictis adsurgens Gerardus Engolismensis episcopus legatus Callus, totius concilij consensu, ita ex scripto pronunciauit. *Priuilegium pro liberatione captiuorum Ecclesia à Pascali pontifice per Heinricum regem vi extortum, omnes in hoc sancto concilio congregati legitimâ censurâ,*

A. D. X.

*CIO.
C. XII.*

et auctoritate Ecclesiastica, iudicio sancti, irritus condemnamus, et irritum esse iudicamus, eo nomine, quod in eo scriptum est, iure lectum, a nemine consecrandum, nisi prius a rege instituat, quod est contra spiritum Sanctum, et iustam institutionem. Ita a centum & pluribus episcopis subscriptum anno millesimo, centesimo duodecimo.

A. D. X.

CIO.

C. XII.

Anno millesimo, centesimo quarto & decimo, Henricus, frequenti principum conuentu, Maguntiaci nuptias celebrauit cum Mathilde Angliæ regis filia quam nondum puberem aliquot annos iam suo in comitatu habuerat. Maguntiaci Basileam venit, ingrediente Martio. Et jam quartus cum Suijjs Geroni contentionis de finibus perdurabat annus, diuersaque eos ad Imperij tribunalia frustra vocauerat, antiqua, vti adfirmabant, possessione nixos, & insita libertate pertinaces, forique omnis externi despicabundos. Itaque ad Cæsaris tribunal eos postremo, legesque, & iura Allemanorum, in quorum ducatu antiquo, & jurisdictione tenerentur, citauit, quibus condictum recipientibus, vtraque pars ad Imperatorem Basileam venire: GERO cum Vldarico Rapersvillæ Comite Monasterij advocato: Suij cum Rudolfo Lentzburgi Comite suo præfecto. Data agendi apud Imperatorem potestate, ostendebant Suij se, & maiores, vltra hominum memoriam, iisdem, quos tenebant, limitibus constituisse, neque tamen instrumenta, aut privilegia, monumentaue alia ostendere poterant, solo veteris possessionis iure nitentur. Abbas sui monasterij seniores, & plures subditorum nominabat, qui adferebant Hermannum I. Allemanniæ ducem omnem solitudinem ab Ribera vsque amne, & eius ortu, & deinceps per montium summitates ad alpem Sillæ, & vltra ad rupem Stagelvande, mox montem, cui Sonnenbergæ est vocabulum, & saxum Rotensflu, cuncta pretio emeratum, monasterioque condendo, etiam seruando eadem omnia, & quidquid eius ambitus est, donum fecisse, qui ambitus longè, hoc modo, in Suijorum, quos tum possidebant, fines introgredebatur. Ipsi suos limites aliquam magno spatio sese præter cacumina monti-

um, &

um, & Riberæ fontem monasterium versus protendisse, & ita ab maioribus accepisse contendebant. Contra in medio posuit GERO Othonis I. Imper. diploma, quo Hermanni ducis emtionem, donumque, duodecimo regni sui anno, confirmabat, Monasterium in suam protectionem accipiebat, aliaque priuilegia indulgebat. Sed eo in diplomate finium, aut terminorum mentio nulla suberat, & præter locum illum, vbi sancti MEGINRADI Cella fit, Hermano ab fidelibus suis in proprietatem traditum, nihil quod contra se facere Suij arbitrentur, proferebat. Neque priuilegio refragabantur, suæ tamen possessioni præiudicium, eâ ipsâ traditione, fieri negabant. Igitur aliud Henrici primi Imper. rescriptum recentius protulit GERO regni eius anno xvii. Imperij v. editum, in quo sanè certos suæ donationis, aut potius confirmationis terminos præscribebat. Sed in eo quoque Riberæ, & eius scaturiginis fieri mentionem abnuebant Suij, adeoque quidquid hac in parte proferret GERO non alijs quam auditionis, traditionisue incumbere fundamentis, quæ quia auditio, datis Instrumentis, priuilegijsq; haut consentiret, vana, & incerta sit. Addebant Henrici Imper. instrumentum clam maiores suos, & ijs ignorantibus, impetratum, prætextu solitudinis quasi inuixæ, vastæ, in cultæ, cuius proinde proprietas regia esset, cum ea tamen loca, secundum eos, quos colunt fines, semper peruia, & maioribus suis habita, cultaque fuerint, nec eorum proprietatem aliquis regum hætenus quæsierit, aut sibi vindicauerit; argumento manifesto ab ijsdem suis maioribus possessa, nec in ijs jus aliquod monasteriales habere posse: sperare illa eadem porro se in possessione mansuros. Respondebat GERO multa per vim diu vsurpata teneri, nec quæ semel iniusta, & iniusta fuerint tempore mutare naturâ: testes se suppeditare manifestos; ad illos regum & Imperatorum accedere Diplomata. Probabile esse montium apices, & origines, decursusque amnium, & fluuiorum, vtramque suam, & Suijorum, vti ceterarum fermè gentium, regionum, vrbium, & Ciuitatum, jurisdictionem, & proprietatē disparare,

Eius diplomatis exemplum supra, eo, quo datum est, anno. 946.

Notatum id quoque supra ad annum. 1018.

nec ultra eos ab principio coluisse: quidquid ulterius sit, ipsos, & maiores usurpauisse. Pro Suijjs acerrimè pugnabat Rudolfus Comes Lentzburgi non absque fratre Arnolde; quatinus apud eos, vt diximus, præfecturam gerebat, simul quia etiam suos versus Tugium fines imminutos querebatur, ideò etiam quædam, quæ Heremitarum erant, inuaserat: GERONI aderat Vlrucus Comes Raperwillæ aduocatus, & in vtriusque abbatis, & aduocati iustitiam, & fauorem multi nobiles, & principes viri inclinabant. Igitur Henricus, habito, super partium controuersia, & vtriusque rationibus, Principum Imperij, iudiciumq; vtriusque Ordinis consilio, cum prius Rudolfum Lentzburgiensem injuriarum manifestum occupata restituere, violentiæque multam pendere iussisset, lege Allemannicâ, proceribus consentientibus, in hunc modum pronunciauit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuinâ fauente clementiâ, quartus Romanorum Imperator Augustus. Complacuit nobis vt patereset vniuersis, tam futuris, quam presentibus nostris fidelibus, Qualiter GERO abbas de Cella sancti MEGINRADI, & Vlrucus aduocatus eius, ad nos venerunt conquerentes, scilicet, Quod Rudolfus, & Arnolde Comites, & ciues de valle Suites, certos fines eiusdem Cella inuaserint, hereditariam partem ibi semet habere affirmantes, eo quod eorum aruales agri Heremo, in qua constructa est, videntur esse allimitantes. Hæc etiam præsumptio quam iniusta esset, aperte comprobauerant. Nam nobis chartas Domni Ottonis Imperatoris Inuictissimi, & Herimanni Alamannorum Ducis incliti, inrefragabili auctoritate suffultas representauerant, qua distinctè ex integro explicant, Qualiter ipsi prædictam Cellam contra omnes calumniatores ante multos annos absq; omni contradictione liberam, & immunem reddiderat. Hoc totum isti denuo, & maximè Rudolfus Comes, infringere conati sunt. Sed, Diuinâ fauente clementiâ, nobis, vt iustum erat, resistentibus, non prauauerunt. Nam idem Rudolfus æquo iudicio

primatum

primatum nostrorum, sicut docet Lex Allemannorum, con-
 victus, iniuste ablata ad manum aduocati præfate Cella cum
 iusta satisfactione restituit: & ad obtinendam nostri gratiam
 centum libras nobis persoluit. Nos itaque æquo iudicio opti-
 matum, ac fidelium nostrorum, imo consilio iuridicorum, qui
 omnes concordæ censuere iudicio, eam vastitatem cuiuslibet in-
 via Heremi nostræ Imperiali cedere potestati, videlicet, eam
 cuiuslibet placuerit redigendi, præcipueque ad seruitium DEI,
 sicut continetur in charta supradicti Ottonis Imperatoris in-
 victissimi, prædictæ Cella monasterium in honore sanctæ DEI
 genitricis, & sancti Mauritij martyris consecratum, per no-
 stræ Maiestatis præceptum immune reddimus, & liberum.
 Et eadem auctoritate, & potestate, quâ prænominatus Otto
 Imperator eundem locum ad seruitium DEI ordinauit, con-
 tradidit, perpetuâ libertate, & immunitate condonauit: Nos
 quoque, astantibus, & collaudantibus Burchardo Monaste-
 riensi episcopo, Rudolfo Basiliensi episcopo, Otrico Constanti-
 ensi episcopo, Vuidone Curiensi episcopo, Eppone Nouariensi
 episcopo, Ducibusque Friderico, Berchtolfo, Godefrido Pa-
 latino Comite, Herimanno Marchione, Arnolfo de Len-
 zeburg, Vlrico, & Alberone de Uroburg, Adelberto de Ha-
 besburch, Rudolfo de Fricca, Berchtolfo de Nuringa, Frede-
 rico de Zulra, aliisque multis, ipsius Cella fundum monachis
 ibidem DEO famulantibus concessimus, & perpetuo possiden-
 dum contradidimus, cum omni circumiacente silua, omnique
 finitima marcha, subnominatis locis determinata, quæ in oc-
 cidua parte incipiens à fluuiolo Bibera, ab ipsiusque fonte in
 Austrum porrecta, per diuexa montium proximorum late-
 ra, quidquid in præfatum locum inclinia tendit usque ad pro-
 ximam alpem dictam Sila: inde ad rupem Stageluuant, hinc-
 que ad montem Sunnenberg vocatum: postremo ad rupiculam
 Rotensub nominatam. Quidquid hiis interiacet, & clau-
 ditur limitibus, id est, ab adiacentium montanorum cacu-
 minibus, ad eundem, ut prædiximus, locum, in cliuibus sci-
 licet, ut lapsus liquentium niuium, & cursus amnium, im-
 petusque torrentium præcipitant in ima conuallium, omni-

no totum

no totum ad predictum donauimus locum. Hoc est ipsius loci fundum, cum alpibus, siluis, paludibus, ualibus, planitiebus, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, venationibus, uis, & inuis, cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, questis, & inquirendis, & cum omnibus, que dici, vel scribi possunt utilitatibus. Et ut hac nostra maiestatis donatio stabilis, & ab omnibus inconuulsa iugi permaneat auo, hanc nostre auctoritatis chartam inde scriptam propria manus subscriptione confirmauimus, sigillique nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domni Henrici quarti Romanorum Imperatoris inuictissimi.

Bruno Cancellarius recognouit.

Data vi. Idus. Martij, Indictione vii. Anno Dominice Incarnationis M. C. xiiii. Regnante Henrico quinto Rege Romanorum anno xiiii. Imperante iii. Actum est Basilea. In Christo feliciter. Amen.

A. D. N.

*CID.
C. XV.*

A. D. N.

*CID.
CXVI.*

Haclatâ sententiâ, neque sic tamen quidquam GERO ab Suiijs obtinere potuit. Ipsi ut firmiores essent, fœdus cum Vranijs, & Siluanijs vicinis suis tuëdam ob libertatem, & fines in annos decem feriere. Anno millesimo, centesimo, quinto & decimo non paucis defectionem propter anathema meditantibus, nonnullis quoque iam rebellantibus, Henricus Cæsar Imper. ex amicorum persuasione, partim omnium fermè querellis curiam Maguntiaci generalem habuit, in qua omnibus audientiam vulgo præbuit, ad crimina, aut delicta satisfactionem, emendationemque promissit. Sed cum neque sic tutum se satis, & gratiosum intelligeret, declinandæ malevolentia, in Italiam, anno sequenti, transijt. Mantuam progressus legatum ad Pascalem pontificem de componendis regni, & pontificatus discordijs, misit, causasque interea prouincialium cognoscere instituit. Pascales cõcilium in Laterano ad Nonas Martias indixerat, quo diuersarum regionum principes, & Episcopi confluerunt.

In eo

In eo cum de priuilegio antea Heinrico dato, alijs alia cententibus, referret admonitus, ita verba fecit. *Postquam Dominus in manus me tradidit regis, videbam quotidie fieri rapinas, incendia, caedes, adulteria, eaque ab Ecclesia DEI auertere cupiebam: Itaq; quæ Heinrico tribui, pro liberando DEI populo tribui, fateorque perperam me fecisse, rogoque vos omnes ut precibus à DEO mihi veniam impetretis. Iniquum priuilegium, quod in castris Heinrici scripsi, tamquam irritum perpetuo anathemate damno, hortorque vos omnes ut idem faciatis.* Cum vniuersi adclamassent, uti rogas, tum Bruno Signinus episcopus *Gratias*, inquit, *DEO* agamus, quod pontificem *Pascalem* huic consilio presidentem proprio tandem ore scriptum illud audiuimus condemnantem, quod prauitatem, & heresin continebat. Heinrici dehinc excommunicatio per Germaniam Prænestino episcopo commandata, Archiepiscopo Viennensi per Galliam. Interea, toto Imperio, sed maximè in Germania, Imperatore absente, per partes omnia vastabantur, arces aliæ, & propugnacula eueriebantur, aliæ ædificabantur. Tertio Nonas Ianuarias anni millesimi, centesimi decimi septimi terræ motus inauditus Germaniam, Italiam, Galliam incredibili horrore perculsit, ædificia, opida integra, ingenti mortalium strage, funditus euertit. Tertio item kal. Februarij insequentis tremenda tonitrua, quæ nulla meminerat ætas, creberrimâ grandine missa, exaudita. Decimo tertio kal. Martias nubes sanguinæ ab aquilone in Austrum agitata: toto verò anno ea prodigia cælo, terraque visa, & audita, quæ omnium mortalium animis extremum vniuersitatis finem demonstrare, adprobareque videbantur. His perturbatus Imp. Henricus veniæ obtinendæ causâ ad pontificem legauit, qui cum non à se, sed ab præcedentibus Ecclesiæ præsidibus damnatum respondisset, contracto proinde tantum cõsilio posse absolui, rebus diffidens vim spectauit, Romamq; , & pleraq; Ecclesiæ opida occupauit, rursusq; se in Vrbe, quia in Apuliam concesserat Pascalis, ab nõnullis Cardinalibus voluit coronari, postea in Marcam Taurisianam tumultuantem se contulit.

A. D. X.
CIC.
C. XVII.

Anni se-

*A. D. N.**C. IX.
C. XVIII.*

Anni sequētis primordium morte Pascalii pontificis illustre fuit. In eius locum lectus Gelasius 11. monachus Cassinas S. Rom. Eccles. Diaconorū Cardd. primus, vir sanctissimus, volente quoque, & adprobate Imperatore. Sed cum is se quoque ab eius cōmunionē subduxisset, confestim in Urbem aduolauit, eaque, Frangepanum ope, occupatā, Gelasium expulit, Mauriciūque Bracarensem archiepiscopum, Burdinum vulgo nominatū, Pontificem salutauit, qui se Gregorium VIII. Gelasius Capuam profectus, adscitis in auxilium, & consilium omnibus Apuliæ primoribus, conuentum omnium, quos cogere potuit, episcoporum habuit, & grauiissimo decreto Henricum, & Mauritium condemnauit, deinde cum sibi nihil in Vrbe tutum, pauca in Italia reliqua animaduerteteret, in Burgundiam profectus Viennam concilium indixit. Henricus, vti antea, quæcumque pontificia erant, armis, & vastitie peruasit, cuncta in hostilem modum diripuit. Anno millesimo, centesimo, decimo nono ineunte, Gelasius concilium Viennæ celebrauit, & paucis post diebus, quarto scilicet kal. Febr. graui lateris dolore consumtus est. Cardinales, & episcopi, qui aderant, Guidonem etiam nostri ordinis primo monachum, & eo tempore archiepiscopum Viennensem, & Apostolicæ Sedis legatum trans alpes pontificem crearūt, Callistumque, si dixerunt, pridie kal. Febr. Stephani Burgundiæ Comitum fratrem, bene de Deo, bene de hominibus meritum.

*A. D. N.**C. IX.
C. XIX.*

Cuno Prænestinus episcopus, quem Gelasius in Germaniam expedierat, interea Coloniae, & Fritslariæ Synodo congregatā, Henrici excommunicationem promulgauit. Principes regni cum Vitzburgum comitia indixissent, Henricum ad causam dicendam vocarunt, haut obscure denunciantes, nisi venisset, regno spoliaturus. Ita, relictis in Italia vxore, & copijs, insperatum se Henricus principibus exhibuit, conuentumque antedie xiii. Kal. Nouembres apud Tribuarias habuit, seque omnium, quæ obijcerentur, rationem redditurū promisit. Conuentu exacto, plerosque, qui facultatibus exciderant, in possessiones antiquas remisit, per vim spoliatos in integrum restituit, conuētuique, aut potius concilio Rhe-

mensi ad-

mensi ad futurum promisit. Vbi cum inter cetera Callistus præses, vti sacerdotiorum collationi renunciaret, monuisset, se Principum, dato spacio, vsurū consilio respondit. Hoc modo, infectâ pace, Callistus prædecessorum suorum decreta super ea re facta probauit, renouauitq; : Sacerdotes, diaconos, subdiaconos, vt antea sæpius alij pontifices, concubinas habere vetuit : qui pro baptismo, & sepultura pecuniam exegissent, condemnauit. Indeque ingenti gloriâ Romam repetiuit. Ceterum cum adhuc in Gallia versaretur ad eum Cunradus à Sedelbure Baro agri Tigurini accessit, pontificemque summis precibus rogauit, vt illud quod apud Siluanios eodem tempore condiderat virum ordinis nostri monasterium in suam, & pontificiæ sedis protectionem susciperet. Annuit Callistus pontifex, & non modo quæ petierat Baro promisit, concessitque, sed monasterio nomen quoque indidit, & Montem Angelorum nuncupauit, quod in eo monte Angelorum concentus auditus esset, cum alias mons Gallinarum, vulgo Hennenberg, vocaretur. Monasterij eiusdem, & templi facta, hoc anno, in honorem DEIPARÆ MATRIS dedicatio Kal. Aprilis, Primus abbas B. Adhelmus fuit, haut dubiè nostro ex Monasterio sumtus, & accersitus. Adelhelmi enim frequenter nostræ ephemerides meminere. Is postremo auctor Cunrado fundatori fuit, vt, relicta seculari militia, in qua tot annis præstiterat, clarueratque sacram indueret, religionemque profiteretur. Egit in ea Cunradus quidquid vitæ superfuit, magnâ sanctitatis reliquos inter monachos famâ. Anno millesimo, centesimo vicesimo Imperator exercitum in Galliam duxit, sollicitatu quidem Angliæ regis foci, sed maximè Rhemis ob habitum inibi concilium infensus. Cum tamen Gallorum aduentum, & copias audisset, sine mora, aut graui incommodo, in Germaniam redijt. Anno mox sequenti, Maguntiaci excidium, nisi ab rebellionem recederet, interminatus, cædibus continuis, annonæ inopiâ, credo etiâ regum superiorum exitu motus, eo adduxit animum vt pro concordia stabilienda omnium episcoporum, & principum concuentum Herbipolim indiceret ad proximum diem festum

A. D. N.
C. I. D.
C. XX.

A. D. N.
C. I. D.
C. XXI.

Q

Michaëlis

A. D. N.

C. 19.

C. XXII.

Michaëlis Archangeli. Vbi cum, præsentibus legatis pontificijs, duodecim vtriusq; ordinis primoribus cõtrouersa decidenda permisisset, in eam itum est sententiam, vt regalia, vel fiscalia regno, Ecclesiastica Ecclesijs, prædia, & beneficia legitimis possessoribus, hereditates heredib⁹, & cuiusuis conditionis personis sua vti ex æquo, & bono restituta, sub vitæ periculo inuolatè relinquuntur. Missi Romam legati archiepiscopus Treuerensis, & abbas Fuldenis, qui & horù confirmationem, & anathematis exsolutionem obtinerent. Ad horum, anno sequenti, ab vrbe reditù, quibus pontifex Lambertum Ostiensem legatum à latere addiderat, Comitiam Vortmatix ante diem x. Kal. Nouembres agitata. Ibi cum aliquamdiu, diuersis inter principes de concordia esset certatù sententijs, nec finis esse videretur, tum Henricus Imp. *Quid tantopere, inquit, de re nõ necessaria concertatis, cum ego paratus sim auctoritati sanctæ vtiq; Ecclesie obedire, ac liberè id, quod concordiam distinet, ius sacerdotiorum remittere, quaquè aut à me, aut à patre meo Ecclesia ablata opida sunt, restituere?* Hæc magno adplausu, & laudibus excepta, vt in sententia permaneret omnes exhortati sunt. Mox igitur ipse cum toto exercitu in communionem Ecclesiæ, fidemq; receptus, jus episcoporum, abbatumq; instituendorum, quod numquam relinquere statuerat, in manus Ostiensis, maximà humilitate, tabulis perpetuò valituris ad id confectis, dimisit, pacemq; & tranquillitatem toties optatam Callisto, Ecclesiæq; & Imperio restituit. Hæc à me paullò fufius, vt & quorundam, qui secuti sunt, Imperatorum gesta, quia & his dissidijs nostri temporis exemplo, & documento esse possunt, Romanam illam Petram, magnis quandoq; fluctibus premi, nunquam opprimi: quiq; omnibus opibus eam demoliri, & euertere conati essent, ab illa præcipitatos, & miseris, quamuis non indignis, modis, vitam, conatumque finisse, aut tot tempestatum, malorumq; quæ ipsos, ea de causa, exagitarunt, hunc ipsum eundem vnum portum, hac denique in Petra sola tranquillitatem, & salutem reperisse. Calixtus pontifex, eo quo diximus modo, rebus pacatis, Gre-

gorium

gorium pseudopontificem nactus, cum satis Romani Iudibrio habuissent, Cauensi prope Salernum monasterio inclufit. Eodem hoc anno, cum multâ æquitate GERO monasterium ad extremam ætatem per tot Imperij discidia, & turbas administrasset, egregiaque eiusdem iura, & priuilegia fortitudine propugnasset, magno sui desiderio 111. Nonas Februarias extinctus est. Erat Ludouici Froburgi Comitum frater, quod castrum Iurasso in ipso supra Oltam opidum, ditionis nunc Salodorensis, jacet, antiquissimæ, & nobilissimæ familiæ sedes. Multa eius ædificamenta fuere quorum notitiam ætas, & crebra incendia aboleuerunt. Remanet pons tamen Sillæ amnis. Ipsum ex difficultate positionis, aut situs ingenio, siue operis præstantia facit, pontem dæmonis veteres dixerunt, retinetq; nomen, structurâ sanè admirabili, & magni cuiusque Principis dignâ. Instituit etiam confederationem, & diuinorum officiorum communionem cum Hugone abbate, & monasterio Gengenbacensi in Ortnouia sito. Eius rei testimonium in peruetusto eiusdem Gengenbacensis monasterij martyrologio. Quod ad me perlatum beneficio, & humanitate R. P. Friderici Pergameni ibidem Prioris viri doctissimi, & mihi amicissimi hic adponere pretium duxi. *Omnibus hic, regulari tramite, DEO militaturis hoc scripto notificamus, quod Dominus GERO Abbas Cella S. MEGINRADI huc deueniens, ab abbate Hugone, suisque est honorificè susceptus, & benignè tractatus. Deinde ut mutua caritatis glutino perpetim utriusque loci tam presentes, quam futuri fratres indiuisibiliter cohererent, utrisque abbatibus, cum sibi subiectis, conuenit, ut plenariam fraternitatis societatem, quæ utrimque, pene consimilis probatur, sibi vicissim traderent, scilicet ut cuilibet fratri vitam morte commutanti à presbytero triginta missæ, ab aliis decem psalteria debeant decantari. Itaque ne quisquam deses suimet ignauiam ignorantia possit excusare, statutum est in utroque loco, hæc eadem literis mandare.* Ab GERONIS obitu præsidere iussus Vernerus I. ex Comitibus Lentzburgi.